

# The Electronic Manipulus florum

## www.manipulusflorum.com

### Studium ai cum fonte primo

Vitam in peregrinacione agentibus hoc euenit ut multa hospicia habeant, nullas amicicias. Idem accidit hiis qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim et properantes transeunt. Non prodest cibus qui statim sumptus emittitur. Nichil ita sanitatem impedit sicut remediorum crebra mutatio.

Non conualescit planta que sepe transfertur; nichil tam utile est quod in transitu prosit.

Sed modo, inquis, hunc librum euoluere uolo, modo istum. Fastidentis stomachi est multa degustare; que ubi uaria sunt et diuersa, inquinant non alunt.

Cum igitur multa percurreris, unum excerpte quod illa die concoquas.

Seneca ibidem (II. epistola).

Vitam in peregrinatione exigentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicicias; idem accidit necesse est iis qui nullius se ingenio familiariter applicant sed omnia cursim et properantes transmittunt. Non prodest cibus nec corpori accedit qui statim sumptus emittitur; nihil aequae sanitatem impedit quam remediorum crebra mutatio; non venit vulnus ad cicatricem in quo medicamenta temptantur; non convalescit planta quae saepe transfertur; nihil tam utile est ut in transitu prosit. Distringit librorum multitudo; itaque cum legere non possis quantum habueris, satis est habere quantum legas.  
'Sed modo' inquis 'hunc librum evolvere volo, modo illum. 'Fastidentis stomachi est multa degustare; quae ubi varia sunt et diuersa, inquinant non alunt. Probatos itaque semper lege, et si quando ad alias deverti libuerit, ad priores redi. Aliquid cotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxili compara, nec minus adversus ceteras pestes; et cum multa percurreris, unum excerpte quod illo die concoquas.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 2, 2-5 (L. Reynolds ed., vol.1, pp.2-3, ll.25-27, 1-15).